


Collegii Disputatorii Theses Morales Philosophicas

Disputatio I :

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002662206>

Band (Druck) Freier  Zugang



RU phil. Januar 1713
Aepinus, Franc.Alb.

Q. D. B. V.
COLLEGII DISPUTATORII

THESES MORALES PHILOSOPHICAS

exhibentis

DISPUTATIO I.

Qvam,

PRÆSIDE



FRANCISCO ALBERTO ÆPINO,

PH. & TH. D. LOG. PROF. DUC. PUBL.

D. JANUARIII, ANNO MDCCXIII.
ventilationi expositurus est

EGGERTUS WOLFIUS,

Rostoch, J. U. St.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliffimi
Senatus Typographi.

THESIS I.



Vando *ULPIANUS* L. 3. ff. de just. & jur. *juri operam daturum*, inquit, prius nosse oportet, unde nomen juris descendat; idem etiam juris Naturæ Studiosus non immeritò sibi dictum reputet, ut in hujus nominis originem inquirat. Quod facturi deprehendimus, *GROTIUS* Prolegom. Lib. de jur. Bell. & Pac. §. 12. probabiliter dici videri,

vocabulum juris à nomine Jovis descendere, quandoquidem Chryssippus olim ac Stoici dixere, juris originem non aliunde petendam, quam ab ipso Jove; inuentes procul dubio, DEum juris naturalis Auctorem atque causam esse. Quod ultimum quidem licet tam verum sit, quam quod verissimum; haud tamen vera ac necessaria sic indicatur vocabuli *juris* etymologia, ac si à Jove ita derivetur. Dicitur ante *ULPIANUS* loc. alleg. jus à justitiâ appellatum pronunciat, haud dubie per denominationem non Grammaticam, quæ hoc loco quæritur, sed Logicam. Unde hunc sequuti jus ajunt à justo dictum esse, Iustum illum abstractum pro concreto usurpasse, arbitrati. Inde contentiones Doctorum exortæ: Num jus à justitiâ, an verò hæc ab illo rectius denominetur? de quibus vid. *SIMONIS* Not. ad *Gvil. Grotii Enchirid. de Princip. Jur. Nat. Cap. 1. §. 2.* Nobis videtur, jus, eo, quo nobis heic sumitur, respectu consideratum, omnium optimè à jubendo derivari, ut sit quasi *jussum*, ultimâ syllaba per Apocopen sublatâ, consentiente *GUIL. GROTIUS*, l. c. ubi ex Festo probat, quæ nos jura vocamus, antiquos jura vel jussa appellare solitos fuisse. Hæc namque etymologia rei optime convenit, ut significetur Lex, oratio mandans & obligans, quemadmodum patet ex inductione, quando jus Positivum, jus Divinum, Jus Ecclesiasticum, Jus Civile &c. dicimus; ubi nihil intelligitur aliud, quam Lex, vel potiùs complexus Legum Positivarum, Divinarum, Ecclesiasticarum, Civilium, & sic in ceteris.

THESIS II.

Quando autem cum addito dicitur Jus Naturæ, etiam *Natura* vocabulum ab ambiguitate suâ liberandum est. Aliquando sumitur pro DEO, qui vocatur *Natura naturans*; aliquando pro causâ secundâ DEO-que subjectâ, quæ *Physicæ* considerationis est, & describi solet per principium

cipium motus atqve quietis, in quo inest primùm, per se, & non secundum accidens. Interdum denotat ipsam rei essentiam & constitutionem; interdum pro affectibus congenitis usurpatur. Denique accipitur pro operatione DEI hominum mentibus inditâ, ipsam eorummet essentiam respiciente. Et ita heic loci sumi debet, indicantibus S. Literis *Rom. II. 14. 15.* ut dicatur jus Naturæ, quia partim naturam hominum rationalem respicit eiqve congruit, partim naturaliter homini insitum ac notum est. Hinc aliqui jus naturale, quam jus naturæ, dicere malunt, quia nonnunquam ordo totius Naturæ Lex vel jus Naturæ vocari solet. Sed de vocibus contendere parum afferre utilitatis potest: verba enim valent, sicut nummi.

THESIS III.

Jus naturale dari, negarunt olim Cyrenaici, de quibus vid. *DIOGENES LAËRTIUS in Vit. Aristippi* & cumprimis Carneades, teste *LACTANTIO Lib. V. Div. Inst. Cap. 17.* Justitiam, si aliqua sit, summam esse stultitiam, dicens. Jura namqve homines sibi finxisse, docebat, pro utilitate suâ, unde & enata ea sint varia, & pro temporibus ac moribus diversorum sæpius mutata. Sed rectè respondet *GROTIUS Proleg. de jur. Bell. & Pac. §. 18. Sicur, ipso (Carneade) fatente, stultus non est civis, qui in civitate Jus Civile sequitur, etiamsi, ob ejus Juris reverentiam, quadam sibi utilia omittere debeat; ita nec stultus est populus, qui non tanti facit suas utilitates, ut propterea communia populorum jura negligat: par enim in utroqve est ratio.* Necessarium autem esse jus Naturæ, & reverâ dari, vel ipsa arguit natura hominis. Hunc enim DEUS creavit ratione pollentem, quâ boni agnoscere maliqve discrimen, ac juxta certam regulam suas dirigere actiones potest. Quia igitur DEUS, qui rationem indidit homini, vi justitiæ suæ non potest non velle bonum & averfari malum, consequitur necessariò, dedisse illum homini, quò ipse rationali suæ naturæ conformiter viveret, certam aliquam normam, ad quam actiones suas rectè attemperet, & num bonæ sint, an malæ, dignoscere queat. Præterea etiam homo est animal sociabile, ut naturâ societatem cum sui similibus affectet, eandemqve tranquillam atqve ordinatam. Eam autem obtinere, vel saltem conservare sine jure Naturæ haud potest, quod præscribere ipsi debet leges, secundum quas socialiter vivere possit. Conf. *PUFENDORFIUS Lib. II. de jur. Nat. & Gent. Cap. 1. SCHOOCKII Diatrib. de jur. Nat. tb. 9.*

4
 THESIS IV.

Causa efficiens Juris Naturæ non potest esse Gentium sive omnium sive saltem cultiorum consensus, veluti sufficienter demonstravit PUFENDORFIUS l. c. §. 7. 8. 9. sed est DEUS. Omnem quippe Legislatorem, qui pro autoritate legem fert, iis, quæ legem præscribit, superiorem esse oportet, ut & jure gaudeat præcipiendi illis, & potestate reluctantes coercendi: ast præter DEUM, qui in universum genus humanum superioritatem habeat, ut obligare illud sua autoritate atque imperio possit, nemo est. Præterea, quia DEUS totius Naturæ Auctor est atque causa, causa quoque erit illius juris, quod in hominis naturâ quasi radicatum, ac naturâ insitum cognitumque est omnibus hominibus. Cumque DEUS per infinitam suam sapientiam atque justitiam non possit non velle, ut homines, quos animâ, intellectu ac voluntate pollente, donavit præque ceteris animantibus omnibus exornavit, vitam naturæ suæ rationali conformem vivant; ultrò consequitur, voluisse ipsum & media ejusmodi vitam peragendi, & ad illa homines obligari, sicque jus Naturæ cordibus illorum inscripsisse. Conf. SELDENI Jus Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebraor. Lib. I. Cap. 8.

THESIS V.

De Objecto juris Naturæ duæ reperiuntur sententiæ, quarum una illud asserit esse actiones per se suâque naturâ bonas & malas, de quâ vid. GROTIUS Lib. I. de jur. Bell. & Pac. Cap. I. §. X. n. 2. altera illud esse dicit actiones in se & suâ naturâ planè indifferentes solamque per legem necessarias factas, de quâ vid. PUFENDORFIUS Lib. I. de Jur. Nat. & Gent. Cap. II. §. 6. & Lib. II. Cap. III. §. 4. Sunt autem ab hac controversiâ removenda ea, quæ indirectè tantum atque mediatè ad jus Naturæ referuntur. Quæ verò directè ac immediatè juris Naturæ sunt, ea ita sunt comparata, ut, positâ tali à DEO creatâ humana natura, qualis est, i. e. rationali ac sociali, aliter se habere nequeant, adeò ut, si contra egerit homo, suæ ipsius naturæ aliquid patret adversum. Possunt autem eadem spectari vel absolutè & in se, vel relativè, quatenus nimirum homini, tanquam creaturæ rationali, innotuerunt. Posteriori in acceptione concedi potest, ea à lege dependere, siquidem per legem homini innotuit, quid bonum sit quidve malum, id quod novisse naturâ non potuisset, nisi Lex Naturæ naturâ ipsi fuisset insita. Ast priori in respectu necessaria omninò ac per se honesta aut turpia dicenda sunt, ita

ut præcepta non præcipi, & prohibita non prohiberi non potuerint. Ac licet nulla unquam existisset creatura rationalis, hæc tamen talia, qualia in se sunt, semper fuissent, vel honesta necessariò, vel turpia. Sicuti enim essentia rerum æternæ sunt; ita non minus, quod talem essentiam necessariò consequitur, æternum erit. Accedit absolutè immutabilis DEI justitia, quæ suâ natura prohibenda præcipere, aut sua natura præcipienda prohibere non potest.

THESIS VI.

Juris Naturæ propriè ac strictè, nimirum pro lege, dicti subjectum bruta non sunt. Quomodo enim illud, utpote rationis expertia, cognoscere adque præscriptum ejus actiones suas dirigere poterunt? Frustra verò lex præscribitur iis, à quibus cognosci nequit; quiqve illius ad præscriptum actiones suas, vel per ipsam naturam suam, dirigere non valent. Quando igitur Imperator *Pr. J. de J. N. G. & C.* jus naturale dicit esse, quod *Natura omnia animalia docuit*; additqve: *nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur*; intelligi debet jus Naturæ in latiore sensu atqve impropiè, pro instinctu scilicet Naturæ, sumtum. Et indicant hoc ipsum ipsa, quæ probationis loco adjiciuntur, exempla: *Hinc descendit maris atqve fæmine conjunctio, hinc liberorum procreatio, hinc educatio*; quæ omnia ab instinctu Naturæ proficiuntur. Conf. *HOPPII Comment. ad Inst. d. l.*

THESIS VII.

Principium cognoscendi Juris Naturæ, quod etiam fundamentalem ejusdem legem dicere solent, investigaturus observare debet tria illa primorum cognoscendi principiorum requisita, ut sint nimirum vera, evidentia, & adæqvata. Quibus præsuppositis, dicimus, Juris Naturæ principium cognoscendi non esse I. Consensum Gentium, de quo *CICERO Lib. I. Tusc. Quest. omni in re*, inquit, *consensu omnium Gentium Lex Nature putanda est*. Est namqve inadæqvatum, cum non in omnibus omnes Gentes idem sentiant. Estqve falsum, siquidem hominum placita non possunt naturalem inducere obligationem. Neqve II. tria illa præcepta: honestè vivere, alterum non lædere, suum cuiqve tribuere, quæ *S. 3. Inst. de J. & J.* prima esse juris Naturæ præcepta dicuntur. Hæc enim non sunt principia prima, sed conclusiones ex alio principio deductæ. Cumqve unum quærimus principium, tria

exhibentur præcepta aliunde probanda, ut non immeritò *THOMASIIUS Lib. I. Inst. Jurisprud. Div. Cap. IV. §. 13.* Imperatorem benignitate suâ nos obruere judicet. Accedit, quod non omnia sint satis evidentia. Nam, quæ sit vita honesta, determinare non omni difficultate caret, quandoquidem quasdam apud Gentes honestum atque licitum censetur, quod aliis habetur illicitum atque inhonestum. *Vid. CORNELIUS NEPOS de Vit. Excell. Imperat. in Præfat.* Neque III. quod *HOBBSIIUS Element. Phil. de Cive Cap. II. §. 2.* tradit: Quærendam esse pacem, ubi haberi potest; ubi non potest, quærenda esse belli auxilia. Est quippe falsum, & ad destructionem societatis humanæ vergens. Neque IV. Rectam Rationem, sicuti proponit *AZORIIUS Lib. VI. Instit. Moral. Cap. I. Tom. I.* quia non satis evidens est, sed semper ulterius probandum, hoc istudve rectæ rationi congruere, quod haud rarò non sine difficultate procedet, siquidem quilibet mortalium rectam rationem crepant, sese eam habere, alios in errore versari, putantes. Neque V. Statum integritatis, quemadmodum contendit *ALBERTI Comp. Jur. Nat. Orphod. Theol. Conform. Part. I. Cap. I. §. 30.* Non enim iste status evidens, aut naturaliter cognoscibilis est, quin ex sola Scripturâ S. de eodem constat. Neq; VI. Legem DEI æternam, uti vult *DOMINICUS SOTO Lib. I. de Just. & Jur. Qu. III. Art. 3. Qu. IV. Art. 1.* Quoniam est inevidens, cum semper aliunde probandum remaneat, hoc istudve legi DEI æternæ convenire. Neque VII. convenientiam cum Justitia divina, quæ aliorum Scholasticorum sententia est. Est enim iterum inevidens, quoniam non in omnibus quilibet convenientiam cum justitiâ divinâ clarè videre potest. Est & inadæquatum ac latius, ad plura, quam quæ juris Naturæ sunt, se extendens. Neque IIX. Voluntatem divinam, quod propugnat *COCCEJUS Tract. Jur. Gent. Part. I. Quæst. II. §. 6. 7.* Nam & hoc inevidens principium est, cum semper quærendum sit: an hæc istave actio voluntati divinæ conformis sit, nec ne? Non enim constare de DEI voluntate potest, nisi eandem ipsemet manifestaverit. Nec omnia, quæ DEus vult fieri, juris Naturæ sunt, ut aded etiam sit latius patens & inadæquatum.

THESIS IIX.

Rejctis igitur istis sententiis, statuimus cum *PUFENDORFIO Lib. II. de Jur. Nat. & Gent. Cap. 3.* præeunte *GROTIO Proleg. Lib. de Jur. Bell. & Pac. §. 10.* ut & *CICERONE Lib. I. de Off. Cap. 3.* juris naturalis principium cognoscendi verum, evidens & adæquatum esse, incomple-

complexum quidem, *Socialitatem*; complexum verò seu fundamentalem legem, hanc propositionem: *Quicquid socialitati convenit, eandemque conservat, illud justum est atque agendum, tanquam jure naturali præceptum.* E contrario autem; *Quicquid socialitati adversum est, eandemque destruit, illud injustum est atque fugiendum, tanquam jure Naturæ prohibitum.* Hocce principium adè non excludit Legem DEI æternam, voluntatem atque justitiam divinam, rectamve rationem, ut potiùs præsupponat. Quod enim socialitati convenit, illud DEus vult, ejusque justitiæ ac æternæ legi congruit, rectæque rationi est consentaneum. Et ex adverso: quicquid socialitatem destruit, id DEus non vult, adversum est ejusdem legi æternæ ac justitiæ, nec minus in rectam rationem impingit. Idque inde, quoniam DEus hominem creans eidem dedit naturam socialem,

THESIS IX.

COCCEJUS *loc. all.* sententiam suam, quod voluntas & jussum DEI Creatoris principium juris naturalis sit, propugnata imit his rationibus: I. *Quia ex hac solâ voluntate omnia natura præcepta ultimò & necessario inferuntur: nam ultra DEI voluntatem, utpote quæ ipsi coæva atque ab alia re nulla dependet, nihil prius concipi potest.* II. *Quia hæc sola humano generi parendi necessitatem imponere potest, solus enim DEus tanquam Creator jus in homines habet, alii vero in opus Creatoris, nisi ipso Autore, nullum.* III. *Et cum omnes res à Creatore sint, & facultates agendi hominibus à solo DEO concessæ sint, sponte fluit, nullam aliam rem creatam absque concessu Creatoris facultates illas restringere, & hominibus necessitatem legibus datis imponere posse.* Verùm hæc argumenta nihil aliud evincunt, quam quod jus Naturæ à voluntate DEI, tanquam supremi Legislatoris, originem suam habeat, hæcque adè illius principium fiendi sit, id quod tantum abest ut à nobis negetur, ut supra *Tb. IV.* adstruxerimus ipsi; non autem probant, quod voluntas DEI sit principium cognoscendi juris Naturæ, de quo quæritur. Principium notius esse debet suo principiato, ut hoc ex illo cognosci queat: de voluntate autem DEI constare nobis non potest, nisi eandem nobis manifestaverit. Idèdque quid juris Naturæ sit inquisitionis recurrentum semper foret ad revelationem divinam, quam S. Scripturæ Codex continet, quo in cum & multæ sint positivæ leges, difficile nonnunquam futurum esset dignoscere inter ea, quæ juris Naturæ, & quæ juris divini positivi sunt. *Juris Civiliis Romani principium*

pium fieri est voluntas Imperatoris, hanc autem aliunde cognosci oportet, Corpore scilicet juris, quod accuratè loquendo hinc principium cognoscendi est. Ita, quia DEUS hominem creavit ratione præditum ac socialem, ex convenientia cum socialitate vel disconvenientia cognoscendum est, quid DEUS vi juris Naturæ ab hominibus fieri vel non fieri velit.

THESIS X.

Non desunt quidem, omnia, quæ in sacro Scripturæ Codice continentur, ad jus Naturæ pertinere, existimantes. Verùm enim verò, uti quædam inibi præcepta directè & formaliter juris Naturæ esse manifestum est; ita alia multa ibi occurrunt, ad quæ, sicubi formaliter considerantur, quatenus in Lege aut Evangelio ex peculiari DEI voluntate, habito ad certum hominum statum respectu, proponuntur, jus Naturæ nullam directè obligationem inducit. Interim & ea reductivè ad jus Naturæ referri posse, concedendum est, quandoquidem jus Naturæ necessitatem omnia, quæcunque DEUS vel præcipit vel prohibet, agendi omittendive imponit, ut in omnibus ei obediatur.

THESIS XI.

Usitatissimum est, Jus Naturæ in Præceptivum atque Permissivum distingvi, ut *Permissivum* dicatur, quo homini relinquitur facultas sive licentia aliquid agendi vel non agendi, habendi vel non habendi, ut neutro modo in Legem quampiam peccet; *Præceptivum* verò, quo aliquid vel præcipitur vel prohibetur, ita, ut sine Legis offensâ contra fieri nequeat. Hinc & actiones indifferentes, seu licitæ & permissæ, negativè nimirum tales, à moraliter bonis atque malis distingvuntur. At sicuti indifferentes, propriè loquendo, in moralium actionum censum non veniunt; ita nec illa Juris Naturæ proposita distinctio ut accurata censenda est. Jus enim Legem denotat: quælibet verò Lex habet vim obligandi, per se quidem ad obedientiam sui quæque observationem, per accidens autem, in casu denegatæ obedientiæ, ad pœnam; sed verò jus permissivum neutiquam obligat agentem, sed in libero potius ejus arbitrio relinquit, agerene, annon agere velit. Unde nec pœnam promeruisse dicitur, sive egerit, sive minùs. Ex quibus ultrò consequitur, jus Naturæ permissivum propriè & absolutè jus aut Legem vocari non posse, quin cum addito tantum diminvente, vel potius alienante: jus *permissivum* vel *concessivum* dicendum veniat. Vid. GUIL. GROTIJ *Enchirid. de Princip. Jur. Nat. Cap. II. §. 10.* ubi, qui jus permissivum dari affirmant, crassiori Minerva cum vulgo loqui, pronunciat.



Socialitatem; complexum verò seu fundamenta-
 tionem: *Quicquid socialitati convenit, ean-*
dem justum est atque agendum, tanquam jure na-
 contrario autem: *Quicquid socialitati adver-*
estruit, illud injustum est atque fugiendum, tan-
hibitum. Hocce principium adeò non excludit
 voluntatem atque justitiam divinam, rectamve
 supponat. Quod enim socialitati convenit,
 e justitiæ ac æternæ legi congruit, rectæque rati-
 Et ex adverso: quicquid socialitatem destruit,
 rsum est ejusdem legi æternæ ac justitiæ, nec mi-
 impingit. Idque inde, quoniam DEus homi-
 naturam socialem.

THESIS IX.

I. sententiam suam, quod voluntas & jussum DEI
 ris naturalis sit, propugnata i vit his rationi-
 voluntate omnia natura præcepta ultimò & ne-
 multa DEI voluntatem, utpote quæ ipsi coeva
 dependet, nihil prius concipi potest. II. Quia
 parendi necessitatem imponere potest, solus e-
 ator jus in homines habet, alii vero in opus
 re, nullum. III. Et cum omnes res à Creatore
 di hominibus à solo DEO concessæ sint, sponte
 creatam absque concessu Creatoris facultates
 minibus necessitatem legibus datis imponere
 menta nihil aliud evincunt, quam quod jus Na-
 anquam supremi Legislatoris, originem suam
 lius principium fiendi sit, id quod tantum ab-
 t supra *Tb. IV.* adstruxerimus ipsi; non autem
 DEI sit principium cognoscendi juris Naturæ,
 pium notius esse debet suo principiato, ut hoc
 e voluntate autem DEI constare nobis non pot-
 manifestaverit. Ideòque quid juris Naturæ sit
 semper foret ad revelationem divinam, quam
 met, quo in cum & multæ sint positivæ leges,
 urum esset dignoscere inter ea, quæ juris Na-
 positivi sunt. Juris Civilis Romani princi-
 pium

